Ἐπινίκιον. Sive *Invictissimi Principis Auriaci* TRIUMPHI.

I.

POST varios casus, post tot discrimina
Nostris allabitur oris,
Noctisque tenebris involutus,
(Ea scilicet! Triumphantis principis
Est Modestia)
Metropolim nostram,
Spoliis omissis, onustus,
Laudibus ornatus,
Gloria refulgens,
Dux ingreditur BATAVICUS.

II.

Coràm te nostra certè erubescit
Eloquentia;
Adeò ut pudore, magis quàm verbis
Vestram magnitudinem,
Et Res gestas,
Prosequi
Musa gestiat verecunda:
Ad pedes ergo tuos
Devoluti,
Silentio plusquam Pythagorico,
Religiosè veneramur,
Quod captum longè superat Plebeium.

III.

In hoc meherculè verè maximus es;
Quòd mensuram magnitudinis tuæ,
In te totus habeas:
Et (ut magnos Principes decet)
Majestatem tuam
In angustias colligis;
Ni profanum vulgus, videndo, cæcutiant,
Quòd attentis oculis,
Et Radio nequeunt aspicere directo.

IV.

Sed frustrà celare cupis, & supprimere,
Quæ fama loquax
Nunquam tacebit.
Heroûm quippe eam esse Legem immutabilem
Fixit Natura;
Ut esse non possint, nisi prosint.
Hanc pulcherrimam Necessitatem
Virtus imposuit;
Ut magnis nullibi esse liceat terrarum,
Nisi quales sient
Ex egregiè factis,
Præsens ætas,
Et sera intelligat Posteritas.

V.

Atque ità tandem, licèt ah! serò nimis
Nobis innotescit
Quantus vir sis,
Et te Duce, quanta speranda sunt.
Gaudeant igitur, & triumphent;
Te salvum redeuntem
Salutent
Miles, Mercator, stultusque, maritus, amator.

VI.

Profectò utinam liceret hodie,
Vel de lucidâ Monti
Fenestrâ,
Omnium nostrûm animos viciniùs contemplari.
Videres utique
Amorem cum odio,
Gaudium cum tristitiâ,
Spem cum timore
In pectoribus nostris concurrere
Fluctuantibus,
Inter spem, curamque, timores, inter & iras.

VII.

Intereà te Magnum, dubio licèt
Animo
Nos *Augli* veneramur,
Quod, abundè satis, testari fumus,
Dum, te tanquam sydus nostrum Polare,
Proposuimus;
Cujus ductu cursum dirigamus nostrum
Ad Insulas fortunatas.
In hoc planè sumus, toto divisi orbe Britanni.
Tu verò in tanto culmine positus,
Caveto;
Ne eundem
Cœlo nostro præcipitem dejiciat
Divum,
Quem evexerat
Insanientis populi Superstitio.

VIII.

Verendum etiam est, ne quem Batavica,
hoc est, plusquam Punica
Fides
Ad tantum sustulit fastigium;
Impotens dominandi libido
Ad inferos deprimat.
Hoc præcipuè timendum esset;
Si Religionis Antistites deprimere,
Imperii Majestatem evertere,

Innocuum ſanguinem profundere,
Omnia ſuperbo pede calcare
Non reformidares.

IX.

Meliora autem de te ſperamus;
Qui Regnum (ſi credere fas ſit)
Alienum non invaſiſti;
Sed abdicatum, & derelictum ſumpſiſti.
Qui
Religionem,
Libertatem,
Et
Res noſtras familiares,
Sartas, tectas,
(Ut Lupus teneros protegit agnellos)
Tantâ diligentiâ conſervâſti.

X.

Qui bella noſtra tàm felicitèr pugnâſti,
Et toties de hoſtibus triumphâſti.
Cui proſperè,
Et ex animi ſententiâ
Eveniunt,
Quæ facis
Omnia.
Cui omnes ſimulac te adventare reſciverint,
Protinùs occurrunt;
Et tremebundi,
Se, villas, civitates, & regiones ſuas
(Utcunque munitas)
Cum munitionibus,
Et
Propugnaculis,
(Quibus olim confiſi)
Ipſo vel nomini Auſiaco ultrò dedunt ſupplices.

XI.

Exemplo ſit, ſceleratiſſima iſta
Gallorum gens;
Cujus ta ità ferociam
Compeſcuiſti,
Ità confidentiam
Contudiſti,
Ità improbis conatibus
Reſtitiſti,
Ut nequiſſimum hoc hominum genus,
Tandèm aliquandò,
Malo ſuo maximo,
Didicerunt;
Quid ſit periculi eundem contumacitèr ſpernere.
Cujus laſam patientiam,
Nequeunt (cum volunt)
Placare.
Ah! Quàm vehementèr cupiunt, tecum
In gratiam redire!
Sed nihil agunt.
Decretum iſtud Adamantinum
Nunquàm revocabis;
Quo totam horum Maſtigiarum patriam
Diripiendam, vaſtandam, evertendam,
Propinâſti omnibus.

XII.

Fatendum eſt ad Cantum Galli
Leonem expaveſcere.
De Brutis animalibus valeat equidèm
Timor irrationalis.;
Non de Batavo-Leonibus, & Franco-Gallis.
Nam Belgici Leones,
Ad Gallorum vocem
(Quantumvis canoram)
Neſciunt trepidare;
Nedùm in fugam ſe convertere: niſi ut majori
Cum impetu, pugnam
Redintegrare poſſint;
Atque ita Parthicam reportare victoriam.

XIII.

Pergas itaque (impunè licèt pergas)
Cum Eſſexianis iſtis
(Ut cum Anglis loquar)
Leonibus,
Peſſimos hoſce Nebulones,
Ad Garamantas uſque
Et Indos
Proſequi.
Ne pueris quidèm uſquàm inventis,
Aut mulieribus
Parcas.
Sed parce tuis, parce amicis, parce nobis
Angligenis,
Qui
Religionem
Fidem,
Conſcientiam,
Et
Quicquid ſacrum eſt
Suſque, deque habuimus, ut te ad ſummum
Honoris apicem,
Impietate,
Rebellione,
Perjurio,
Evecheremus; evectumque in eodem ſervemus.

XIV.

Tu ſolus (nobis otio fruentibus placido)
Batavorum tuorum
Auxiliis
Adjutus,
Contra imbelles Gallorum copias ſufficis;
In quos, ſi ſuperos flectere nequeas,
Acheronta movebis.
Et præfractam eorundem pertinaciam,
Si non gladio, telis, & virtute
Frangere poſſis militari;
At certè mendaciis, impoſturis, & falsâ
Rerum narratione:

Monſtrum

Monſtrum illud horrendum, & informe,
Gallorum Regem;
Immo ipſam veritatem
(Quà nihil fortius)
Vincere, proſternere; & ſub jugum mittere
Probè nôrunt Batavi;
Quibus
Pro Imperii Arcano
Hoc eſt Apothegma,
Fortitèr calumniare, aliquid hærebit.

XV.

Sed miſſis Gallis, ad preclara illa facinora,
Quæ Tu,
Cum Fœderatis tuis,
Fortitèr geſſiſti
Memet accingo
Quæ omnia enumerare
Si in me ſuſciperem,
Dies mihi potiùs, quàm materia deficeret.
En! itaque Currentis Anni
Trophea
Ὡς ἐν πίνακι delineata
Quinque Civitates expugnatas;
Roſſam,
Huyodunum,
Edelbergam,
Raceburgum,
Carolo-Regium.
Tres Claſſes tantùm non penitùs deletas;
Orientalem,
Occidentalem,
Green-Landicam.
Duobus preliis hoſtes Superatos;
Landenſi, uno;
Marſilienſi, altero.
Urbeſque duas ab obſidione liberatas;
Albam-Regalem,
Pinarolium.
Ecce! duodecim Labores, numero pares,
Magnitudine majores,
Herculeis iſtis,
Quos tantoperè jactitavit
Antiquitas.
Quidni igitur te novum ſalutemus Herculem,
Ad monſtra domanda,
Ab ipſis incunabulis deſtinatum?

XVI.

Io Triumphe! Io Triumphe.
Te Alexandris,
Te Ceſaribus,
Te Ludovicis omnibus
Majorem
(Oraculo ſcilicet! Lambethano
Creticam adhibentes fidem)
Agnoſcimus, predicamus, Celebramus
Tintinabulis
Luminaribus,
Cantibus trivialibus,
Rogis Triumphalibus,
Bombardiſque
Famam veſtram
Ad decimum à civitate Lapidem
Reboantibus.

XVII.

Quid reliquum igitur eſt (Invictiſſime princeps)
Niſi ut,
Victorias veſtras,
(Verè Pharſalicas)
Cum conſilio regas;
Et ratione
Perficias?
Satis Angliæ, ſatis Hollandiæ, Satis gloriæ
Litâſti tuæ.
Satis te
Sanguine, & pecuniâ,
Miſerorum Civium
Satiâſti.
Nùnc tandèm (ſuperbis, debellatis)
Nobis,
Regno,
Republicâ
Servatis;
Unicum reſtat, egregium ſanè facimus,
Quo
Nobis felicitatem,
Tibique immortalitatem
Perennes.
Hoc ſi preſtiteris, coronam illam
Quâ, principis Capiti
Nulla dignior,
Geſtatis;
Ob CIVES SERVATOS;

XVIII.

Lycurgus, poſtquàm optimis Inſtitutis,
Spartam ſuam,
Quam
(Civium Suffragio)
Nactus eſſet
Pro virili adornaſſet;
Juramento cives calidè aſtrinxit,
Ne quid immutarent;
Donec ipſe, jàm Delphos petiturus,
Oraculum ſciſcitatum,
De re omnium maximâ,
(Sic præ ſe ferebat)
Domum rediret
Ille autèm, peractis ſacris, filium, amicoſque
Complexus,
Mortem ſibi Conſcivit glorioſam;
Lætabundus,
Quòd Lacedæmonios ſuos reliquiſſet
Perjurio obnoxios;
Si Leges quas fixerat
Juſtiſſimas,
In omne Ævum non cuſtodirent firmitèr.

XIX.

XIX.

En ! tibi exemplum, quod ſi Stoica veſtra
Μεγαλοψυχία
imitari non detrectaverit ;
ſicut,
Laboribus tuis, noſtram quietem ;
Vigiliis ſomnium ;
Sic
Morte tuâ,
Vitam noſtram
In ſæcula procurabis.
Et quid impedit, quo minùs imiteris ?
Nec animus tibi deeſt,
Neque publicæ ſalutis
Cura
Omnes etiam Regni Ordines,
Juramento tenentur ;
Eandem Regiminis formam
Se ſervaturos,
Quâ Inſulam hanc nunquam (antehàc
Fortunatam)
Beaſti.
Et tanto te proſequuntur amore,
Ut nullam aliam
(Etiamſi cœlitùs demiſſam)
Spondent ſeſe admiſſuros Politeian.

XX.

Age itaque.
Magnos magna decent.

O ! quàm dulce, & quam decorum
Pro patriâ mori !
Ergo,
Si tua cum noſtris valerent vota,
(Ne quid, in poſterùm, Reſpublica
Capiat detrimenti)
Gladio illo,
Quo cæteros viciſti omnes ;
Pectus tuum,
(quæ unica eſt victoria)
Vinceres obſtinatum
Niſi à teipſo
Prorsùs inexpugnabile.
Ita vel ipſum Pellæum juvenem gloriâ ſuperares.
Ille etenim (mundo ſubacto)
Puerilitèr lacrymavit,
Alium non fuiſſe,
Quem debellaret :
Quaſi non adhuc reſtabat, ut Alexander
Alexandrum.
Te verò propriis manibus cadentem,
(Et oportet Imperatorem
Non alienis ſuccumbere)
Quis non laudaret ?
Quis non,
Imperatorio hoc elogio,
Inſigniret ;
Hoc tantum fecit nobile, quod periit ?

FINIS.